

v.1 Hei mihi, care pater, quantis mea vita periculis
 2 urgetur, quantis conteriturque malis !
 3 Quanquam immatura premimur, vir magne, juventa,
 4 quam subeunt durum sidera nostra gradum !
 5 Ah nimium nimiumque premit mea membra, Johannes,
 6 pestis dira, patri res fugienda Jovi,
 7 pestis dira meos lacerat nunc unguibus artus
 8 et macie extenuat, corpus et omne meat.
 9 Quam vulgo appellant scabiem juvenesque senesque,
 10 sed merito rabiem dicere posse putem,
 11 haec rabiesque luesque potest fera pessima dici,
 12 qua non saeva magis nulla et acerba magis.
 13 Grypibus haec unguis, dentes atque ora leoni
 14 persimilis, ventrem et caetera membra lupus,
 15 foedior Harpyis tigribusque hae saevior ipsis,
 16 callidior vulpe est : sic taciturna repit.
 17 Non haec irato terris inmissa Tonante est,
 18 cum Pandora malis dolia plena tulit
 19 (haud tantum meruere nefas tua furta, Prometheu,
 20 hae fuerat major crimine poena tuo !),
 21 sed quondam, ut perhibent, Pluto indignatus Avernus
 22 Amphitrioniadem corripuisse canem
 23 custodemque suum triplici vinxisse catena
 24 atque extra Stygios proripuisse lares,
 25 felle tumens, bili tunc primum concitus atra,
 26 saevus, acerba fremens et nigrrior solito,
 27 hanc primum ardenti jussit Phlegetontis ab unda
 28 mergere et ad Stygios mox properare lacus,
 29 illic pestifero madefactam terque quaterque
 30 flumine deinde plagam misit in aetheream :
 31 viventum omne jubet volucresque armenta ferasque
 32 atque hominum imprimis sollicitare genus ;
 33 unguibus hos saevisque feram cum dentibus atram
 34 corporaque et facies dilacerare dedit.
 35 Haec mea, care pater, physicorum maxime princeps,
 36 membra haec dilaniat dilaceratque cutem,
 37 nec misero datur ulla quies, mora nulla, sed aequae
 38 haec noctu excruciat excruciatque die,
 39 nec dapiumve potusve mihi datur ulla voluptas ;
 40 solacium haec ullum sumere saeva negat ;
 41 quin etiam Musas prohibet sacrumque Heliconae
 42 haec colere atque ullum fingere posse pedem.
 43 O perdenda lues, Furiis crudelior ipsis,
 44 unde tibi, unde hominum vita terenda datur ?
 45 Quae tibi digna satis poterunt Jovis arma parari,
 46 quis pater ipse tuum perdat, iniqua, caput ?

47 Sed dea dira negat (dea nam moritura nec usquam est)
48 fulmina se aut fluctus posse timere maris,
49 nam Phlegethon, cujus naturam traxit iniquam,
50 fertur flammigeras ferre malignus aquas ;
51 quin etiam ferro non est medicabilis ullo,
52 nam Stygio fuerat haec medicata lacu.
53 Haec quoque, cum foribus quam primum erupit Avernus,
54 gustavit rabida saeva aconita fame,
55 unde etiam canibus fertur dea saevior ipsis,
56 namque id Cerbereum dicitur esse virus.
57 At tu, si qua pius tangunt incommoda pectus,
58 si Phoebum aut Bacchum Pieridasque colis,
59 jam medicas huic, oro, manus (fera pessima cedit !)
60 quam primum admoveas admoveasque fidem.